

Pergamena 16

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Pergamena 16

25-02-1375

+ In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Anno a Nativitate Eiusdem millesimo trecentesimo septuagesimo quinto, regnante domina nostra Iohanna, Dei gratia regina inclita Ierusalem, Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et Forcalqueri ac Pedimontis comitissa, regnorum suorum anno tricesimo tertio feliciter amen. Die vicesimo quinto mensis februarii tertiedecime indictionis apud civitatem Potentie. Nos Iacobus de Asclo, annalis dicte civitatis iudex, Iacobus de Ingannulo de eadem civitate puplicus ubilibet per provincias Basilicate, terre Bari, Capitinate, Principatus Ultra Citraque, Serras Montorii ac Terre Laboris et comitatus Molisii, regia auctoritate notarius et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripta puplico notum facimus et testamur quod in nostri presentia constituta dompna Sopricia de Roto de Potentia, mero iure Romano vivens, sicut ceteri homines et mulieres ipsius civitatìs ab antiquo vixerunt et vivunt, sicut sibi utile et expediens visum fuit sua bona spontanea et gratuita voluntate vendidit alienavit et per fustis tradictionem assignavit iure proprio in perpetuum Iohanni Ferrario de Balio ibidem presenti et ementi pro se et suis heredibus medietatem unius terre cum macla de caloiatis pro indiviso cum Carella Riccardi de Amerisio, sitam in territorio Valii incontrata strate puplice, qua itur Tricaricum, iuxta ipsam stratam ab una parte, ab alia parte iuxta terras ecclesie sancti Petri de Valio, ab alia parte iuxta terram Guillelmi de Zucria et ab alia parte iuxta vallonem genestreti usque ad pescum genestreti et ab alia parte insupra pescum de genestreto et alios confines, ad habendum tenendum possidendum vendendum donandum permutantum et quocumque modo dominus emptor et sui heredes

voluerint alienandi cum viis suis in dictam terram intrandi et exeundi et cum omnibus aliis iuribus et pertinentiis suis. Pro qua venditione dicta venditrix recepit manualiter coram nobis et habuit a dicto emptore dante solvente et assignante seu nomine pretii inter eos conventi in carolenis argenti duobus pro tareno quolibet computatis tarenos duodecim ponderis generalis totum scilicet pretium venditioni ipsius. Promictens dicta venditrix per se suosque heredes dicto emptori pro se et suis heredibus stipulanti item vel controversiam de medietate predictae terre cum dicta macla sibi et suis heredibus ullo unquam tempore non inferre nec inferenti consentire vel assentire, scilicet: medietatem prefate terre cum dicta macla tam in proprietate quam in possessione ab omni homine et persona quacumque dicto emptori et suis heredibus legitime defendere guarantire et disbrigare et de evictione teneri et dictam venditionem et omnia et singula supradicta et infrascripta ratam et firmam ac rata et firma habere perpetuo et tenere et unquam contrafacere vel venire per se et suos heredes aud aliquos alios quovismodo in iudicio vel extra iudicium, de iure vel de facto aliquo modo ratione, ingenio seu tractatu sub pena unciarum auri duarum, medietate ipsius pene reginali aud ducispali curie vel alteri curie ubi exinde facta fuerit reclamatio seu querela et altera medietate dicto emptori et suis heredibus persolvenda totiens, quotiens fuerit exinde quomodolibet contraventum, me predicto notario tanquam persona publica pro parte dicte curie et dicto emptori pro se et suis heredibus a dicta venditione solemniter stipulantibus penam ipsam, qua soluta vel non soluta, exacta vel non exacta predicta venditio et predicta et subscripta omnia et singula in suo nichilominus robore et efficacia

perseverent. Cum refectione et integra restitutione omnium dampnorum interesse et expensarum litis et extra litem que fierent propterea quoquomodo, de quibus stari et credi debeat assertioni cum iuramento tamen dicti emptoris et heredum suorum, nulla alia probatione quesita, ita quod reduci non possit ad arbitrium boni viri. Et renuntiavit super hiis dicta venditrix exceptioni doli mali vis metu et in factum exceptioni deceptionis et fraudis rei que predicto modo non geste vel aliter habite quam superius continetur. Legi resscriptorie qua deceptis ultra dimidiam iusti pretii subvenitur egi dicendi penam in contractibus non apponi et appositam non valere, beneficio vellaiani, senatus consultus, beneficio restitutionis in integrum, licteris privilegiis et rescriptis quibuslibet impetratis et impetrandis et omnibus aliis auxiliis et beneficiis omnium iurium atque legum et specialiter iuri dicendi generalem renuntiationem non valere et iuri per quod cavetur quod dicto iuri renuntiari non posset. Quibus et propter quem predictus venditor et predicta et subscripta omnia et singula possent in aliquo minui vel infringi. Pro quibus omnibus et singulis attendendis et inviolabiliter observandis. Et quod predicta omnia et singula vera sunt et quod contra non fiat dicta venditrix dicto emptori corporale coram nobis prestitit ad sancta dei evangelia iuramentum. Unde ad futuram memoriam diete dompne Sopricie venditricis preces et prefati Iohannis emptoris et heredum suorum cautelam factum est exinde presens publicum instrumentum per manus mei predicti notarii signo meo solito signatum, mei qui supra iudicis ac nostrorum predictorum subscriptorum testium subscriptionibus roboratum. Quod scripsi ego predictus Iacobus publicus

ut supra notarius qui premissis rogatus interfui et meo signo consueto signavi.

+ Ego Nicolaus de Asclo iudex Potentie qui supra. + Ego presbiter Demetrius de Gratoso, presbitero testis interfui. + Ego presbiter Maffeus de Paleino, presbitero testis sum. + Ego presbiter Ricardus de Amata, presbitero interfui. + Ego Angelus Iacobi domini Ilarii de Potentia testis sum.